

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

XXXIV.

Salutem in Domino.

Maxima sum læticia affectus, Ornatissime Dn. Magister, cum audivi, te professorem Ethicum Basileæ factum esse, eumque honorem DEUM tibi fortunare volo, atque à te pro tua, tuique patris dignitate administrari. Fuit hoc nuncium, non parentibus modo tuis, quos merito ego quoque veneror, sed multis etiam amicis vehementer gratum, quibusdam ægrè fecisse non dubito. Sed tu maecte nova virtute, rumpantur ut Ilia Codris, qui si hic tale quippiam tibi contigisset, in Parentis gratiam, atque adeo ejus astu, factum clamitassent. Nunc cum id judicio alienæ Academiæ factum est, etiam hoc dolent, quod incusare non possunt. Qualia tradas, tu modestè scriperas, alios tuis auribus dare, illa inepta non esse, ad nos autem perscriptum erat: te in aliis quidem, & Aristotelis sententiam dilucide explicare, & explicatam graviter defendere. Omhind autem quippiam in Ethicis esse, quod non oratione tu quidem, sed reipsa refutes manifestissime. Est autem id, quod Aristoteles ut Juveni Mathematum cognitionem concedit: ita ab eo doctrinæ Ethicæ scientiam perfectiore removet. Hoc ergo ajunt tua interpretatione contrarium demonstrari. Quod cum ita sit, ego non tam tibi gratulor, quam nostræ Academiæ gaudeo, quæ paulo post te habitura sit non morum, sed pietatis & fidei Doctorem. M. Piscator, quem tuo, ut jussisti, nomine salutavi diligenter, superiore hebdomade, tribus Lectionibus, suæ eruditiois specimen edere cepit, in Epistola ad Philipenses. Initia sunt præclara, sed eis quædam ex Schegkiana Theologia adhærent, quæ tamen privata tui Parentis admonitione specro emendatum iri. Ego cum ipso, ut Collega, amicitiam, quantum potero, colam, à qua ne ipse quidem alieno, ut videtur, est animo. Sed hæc tamen amicitiae ~~opus~~, opinor, patietur, modo illa sit ~~ca~~ ~~in~~ ~~re~~ ~~vera~~, & ipsius, si quæfiger, trophyæ fortasse somnum mihi eripient. Quæ de Ecclesia vestra proxime ad me scripsisti, ea pergratum mihi fuit cognoscere: & gaudeo, tuum Parentem tantum perversorem existimari. Academiæ etiam vestræ statum florentem esse intelligo, ita ut illa damna, quæ duobus illis senibus eruptis passa est, facilius ferre posse videatur. Nobis nondum prospectum est de quoquam alio, nisi quod quidam suspicantur, M. Piscatori ad lectionem Theologicam, Professionem vel Organicam, cum D. Hortelio communem, vel D. Rectoris, qui nunc in suo prædio valetudini dat operam, loco Rheticam commendatum iri. Mag. etiam Florus perget facere officium: & D. Doctor aliquando, cum per valitudinem & occupationes poterit, alicujus Psalmi enarrationem, nostris vicibus, interponet. Meam nullam prodire Disputationem minus fortasse miraberis, si occupationes, quibus distineor, &, ut video, distinebor, consideraveris.

ris. Sed fortasse curabo, ne M. Piscator me disputando prævenerit. Fratri autem tuo M. Erasmo, me excusabis, quo minus scriperim; nam & ad scribendum temporis dabatur parum, & meum est hujus hebdomadis curriculum. Non tamen intermittam, proxima occasione. Iste, quem mihi commendaveras, meliore, quam sperasset, ut conjicio, fortuna utitur. Cum enim meam opem coram stipulatus sibi esset, si quid ei eveniret, non tamen eum post hac videt. Ita gaudeo quidem amico tuo res secundas esse, sed doleo non potuisse me tibi ostendere in illo, te ipsum quanti faciam. Salutant vos sobrinus vester Ulricus, & Seb. Müggius. Valere. Argentorato, 5. Martii, 1572.

Hinc ex affe

Johannes Pappus.

Scaliger vobis jam non mittitur, quia tabellarius recusaturus Dn. Doctori videbatur. Quod significandum vobis jussit.

XXXV.

Salutem in Christo.

Transmisit ad me, Clarissime Domine Doctor, frater charissime, subscriptiones Pastorum & ministrorum in urbe & Agro Argentinensi D. D. Wilhelmus, pro qua Filio DEI ago gratias, & ut nos omnes in hoc pio consensu confirmet, oro. Quod ad Illyricum attinet, ut videat, quam nihil à nobis insidiose positum sit, tuum cōsilium secuti verba & mutavimus & quædam adjectimus, quæ speramus D. Illyrico satisfactura. Ut autem in subscriptione copiose de suo studio testetur: se hactenus optima conscientia pro veritate, contra multiplices corruptelas agitatas semper assensum esse, &c. id omnino omittendum existimamus. Non enim hac formula hoc agimus, ut nunc vel ipsum vel alium accusemus vel excusemus, sed consensum in fundamento quæsumus, quo constituto deinceps etiam de altero videbitur. Et quo studio aut quâ conscientia quisque in his certaminibus versatus sit, soli DEO constat, & sufficiat cuilibet intra se testimonium, quod præstat ab aliis prædicari. Tu igitur hoc agas apud Illyricum, ut omisis his verbis in exordio, breviter & simpliciter testetur, se hanc doctrinæ normam amplecti. Similiter quoque Epilogus omitendum erit: denique profiteor, &c. quo in dubium vocat nostrum consensum, ubi de vero sensu horum scriptorum disputat. Meo iudicio tutissimum erit, si scripto sine protestationibus subscribat, quod tu protu sapientia intelligis, & facile curabis;

non